Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 601

Quelle:
Copyright:

Codex:

Post dispositionem igitur veteris ac noui testamenti ordine librorum uel numerorum nunc cursim breuiterque in eis proemia narrationum subiciamus.

Editio:

Disputationes igitur Veteris ac Noui Testamenti ordine librorum vel numero cursim breuiterque parua narratione subiiciamus.

In fine vero V. T. manifeste cum Codice legendum est: *actaque legationum* pro *factaque legatione*, in fine N. T. corrigenda *Breulii* interpunctio: *flumen etiam baptismi, mundum lignum vitæ*, et τὸ *mundum* revocandum adjective ad *flumen*.

IX. *fol.* 81. p. 2. Praemissa brevi Admonitione: duplices esse *Hebraeorum* Literas, alias primitus a *Moyse* traditas, alias inventas ab *Esdra*, Nomina et Formae miniatae priorum exhibentur. Et Formae quidem ad eas accedunt, quas hodie *Samaritanas* adpellamus, viderique possunt apud *Rabanum Maur.* edit. *Colon.* 1626. T. VI. p. 333.

X. *fol.* 82. p. 2. *Incipit prefatio beati Jeronimi presbiteri in libro interpretacionum hebraicorum nominum.* Initium est: *Phylo vir disertissimus iudeorum origenis quoque testimonio* &c. Elenchus vero ipse utrumque testamentum, quin et *Barnabae* Epistolam pervadens orditur: *Non statim ubicumque ex a. littera que apud hebreos dicitur aleph* &c. Extat edit. *Vallarsi.* T. III. *col.* 1. Codexque noster cum Editoris Codicibus multum conspirat.

XI. *fol.* 112. p. 2. *Incipit de vita uel obitu sanctorum qui in domino processerunt Prologus Ysidori hispalensis. Qui Deo placuerunt*, legit *Jac. Breulius* edit. *suprac.* p. 531. cujus Exemplum nostro quidem perfectius non uno tamen loco ex hoc ulterius perfici posset. Ita in solo C. 1. five *Adam* pro *Princeps generis et dilectus* rectius *Princeps humani generis et delicti*, pro *exul est paradisi facta, ac — subacta ingemuit*, rectius *exulem se paradisi factam, ac — subactam ingemuit*, pro *in sacerdotibus separata* rectius *sacerdotibus separata* &c.

XII. *fol.* 123. *Incipit epistola Ysidori ad horosium.* Et post illam: *Incipit defloracio eiusdem in nominatissimis nominibus legis et euangeliorum ad eundem.* Initium Epistolae: *Domino Sancto* &c. *Quedam notissima nomina legis* &c. Deflorationis: *Adam figuram christi gestauit* &c. Tractatio haec in edit. mox *cit.* legitur p. 515. titulo: *Allegoriae quaedam Sacrae Scripturae*, et quidem utriusque Testamenti. Ad emendanda haec Impressa rursus conferre posset Codex noster. Ita in *Epistola* male: *legis, Euangeliorumque sub allegoria.* Corrige: *legis et Evangeliorum, quae sub allegoria* &c. et mox pro *egent breviter deflorata: contraxi* &c. interpunge: *egent, bre-*